

Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LVI. Argumentum. Disputatur, an peccet, qui petit mutuam pecuniam cum Usura? Rationes pro utraque opinione. Distinctione eædem conciliantur: concluditur, melius esse non petere mutuum ab ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Brevis, sed non levis fuit disputatio: *An in Usura parvitas materia excuset à mortali?*

Fuit ab omnibus responsum, parvitem materiam in usura excusare à peccato mortali.

Rationes fuerunt:

1. Primo. Quia ibi culpa non est mortalis, ubi violatio iustitiæ est levis. Sed parvitas materiam in usura (cujus tota malitia est contra iustitiam, usurpando alienum sine titulo sufficienti) est violatio levis. Cardin. de Lugo dict. disput. 25. num. 252. Ergo culpa non erit mortalis.

2. Secundo. Major injuria fit domino rei per furtum, quam per usuram, quia magis invitus est dominus erga furem, quam erga Usurarium. Sed qui committit furtum in re parva, excusatur à mortali. Ergo eò minus in usura parvitas materiam erit mortalis.

3. Neque obstant cap. Si saneraveris. cap. Putant. & cap. Plerique. 14. quæst. 3. in quibus iuribus habetur, usuram esse quicquid ultra sortem accipitur, etsi res minima sit; qua ratione ductus Alphons. de Leone de Offic. Confess. part. 1. recollect. 7. num. 37. negavit, in usura dari parvitem materiam, ut refert Diana part. 5. tract. 5. resol. 30. Quæ in Coordinato est tom. 8. tract. 3. resol. 11. Nam respondetur, etiam quid minimum acceptum ultra sortem esse usuram, sed cum debita proportionem ad culpam; nimirum ut culpa sit mortalis, si usura consistat in magna quantitate, venialis, si in parva. Sicut verissime dicitur, esse furtum, quicquid invito domino accipitur; sed cum hac proportionem, ut furtum sit leve, si acceptio sit rei parvæ; grave autem, si acceptio sit rei notabilis. Cardinal. de Lugo dict. disput. 25. num. 253. Tamburin. de Triplici Jur. dict. lib. 9. tract. 1. cap. 2. §. 2. in fin.

4. Minus concludit, qui argumentum facit à simili de Simonia, in qua parvitas materiam non excusat à mortali secundum veriorum Doctorum opinionem, de qua testatur Suarez de Relig. tom. 1. lib. 4. cap. 3. num. 5. Nam in Simonia quantum minus est pretium, eò major est irreverentia, quæ fit rei spirituali, illam commensurando cum eodem exiguo pretio. In usura vero id nullo modo applicari potest, cujus tota malitia versatur circa iustitiam, in cujus transgressione culpa non est gravis, si res, per quam violatur iustitia, sit levis, ut docet Cardin. de Lugo d. disput. 25. num. 252.

D E C I S I O LVI.

A R G U M E N T U M.

Disputatur, an peccet, qui petit mutuam pecuniam cum Usura? Rationes pro utraque opinione. Distinctione eadem conciliantur: concluditur, melius esse non petere mutuum ab Usurariis.

S U M M A R I U M.

1. Mutuatarius an absque peccato petat mutuum cum Usuris?
2. Peccatori occulto an Sacramenta ministranda?
3. Sacramenta à Sacerdote malo recipere an liceat?
4. Juramentum à pejeraturo an exigendum?
5. Debitum conjugale reddens injuste petenti an peccet?
6. Mutuum cum usuris petens peccat.
7. Charitas obligat non excitare proximum ad peccandum.
8. Causa causa est causa causati.
9. Agentes male, & consentientes pariter peccant.

10. Pecuniam in deposito apud Usurarium ponere non licet.

11. Damnum spirituale, & temporale proximi sui impediendum.

12. Scandalum activum est peccatum.

13. Usurarius si sit solitarius sanerari, qui ab eo petit mutuum non peccat.

14. Mutuatarius indigens non peccat petendo mutuum cum Usura.

15. Bonum spirituale proximi præferendum temporali sui ipsius.

16. Peccato non cooperatur consentiens actioni indifferenti.

17. Usuram imponere in mutuo, & illam exigere pendet à sola malitia mutuantis.

Sed super frequenti gravissimo dubio: videlicet, *An mortaliter peccet Mutuatarius, qui petit mutuum sub usuris, & illas Usurario solvit?*

Tres classes reperi opinionum. Una est Negans, altera affirmans, tertia Distinguens.

Opinio Negativa fuit plurimorum dicentium; mutuatarius non peccare petendo mutuum sub usuris illasve usurario præstando. Nam:

Primò: Id licite peti potest, quod licite potest præstari. Sed usurarius licite potest dare mutuum absolute loquendo. Ergo etiam sic absolute peti potest absque peccato. Diana part. 5. tract. 7. resol. 8. num. 6. Quæ in Coordinato est tom. 7. tract. 5. resol. 55.

Secundò. Qui in petitione rei malæ non obligat ad ipsam rem malam illum, à quo petit; sed tantum se habet passive, & non active, non peccat. Sed mutuatarius petendo mutuum, non obligat usurarium ad usuram; sed passive tantum in ea præstanda se habet. Mastrius in Theolog. Morali d. disput. 5. num. 88. Diana ubi supra num. 2. Ergo non peccat.

Tertiò. Quando aliquid ab aliquo petitur, quod ipse bene, vel male facere potest, & sua culpa male facit; absque peccato petitur, & peccatum inculpatur facienti, non petenti. Molin. de Justit. 335. conclus. 5. Sed mutuatarius petit mutuum ab usurario, qui potest illud bene dare, si velit. Ergo si male dat, & cum usura, imputandum est peccatum soli malitiæ usurarii.

Quartò. Sacerdos, qui peccatorem occultum agnoscit, eidem Sanctissimam Eucharistiam petenti negare non debet, & administrando non peccat; quia tota culpa imputatur malitiæ ipsius communicantis cum peccato. Cap. Placuit. 6. quæst. 2. Vasquez, & Suarez, quos allegat & sequitur Cardinal. de Lugo de Sacram. in genere disp. 8. num. 168. Prout etiam non peccat, qui recipit Sacramenta à Sacerdote pravo, quamvis commode ab alio ea recipere valeat. Azor. par. 2. lib. 12. cap. 17. quæst. 7. & Diana par. 1. tract. 8. resol. 31. Quæ in Coordinato est tom. 7. tract. 5. resol. 54. Ergo etiam mutuatarius accipiendo mutuum sub usura non peccabit, cum illa procedat à sola malitia usurarii.

Quintò. Qui petit juramentum ab eo, quem scit esse pejeraturum, iusta concurrente causa, non peccat; eo quia non petit perjurium, sed juramentum, quod verè præstare potest, & intendit petens. Suarez tom. 2. de Relig. tract. de Juramento lib. 3. cap. 14. num. 16. Sanchez in Decal. lib. 3. cap. 8. num. 7. & Diana par. 5. tract. 7. resol. 9. Quæ in Coordinato est tom. 7. tract. 5. resol. 54. Ita & mutuatarius, qui intendit mutuum, & non usuram, illud petendo non peccabit.

Quin.

5 Quinto: Conjux, quæ reddit debitum alteri conjugi lethaliter petenti, (vel quia malo fine petit, vel voto castitatis est adstrictus) non peccat reddendo. Sanchez de *Matrim.* lib. 9. disp. 6. à num. 4. & seqq. ubi plurimos DD. allegat: ea ratione, quia Conjux reddendo non intendit cooperari peccato petentis, sed actui ex sui natura licito. Igitur idem est dicendum de mutuuario, qui in petitione mutui cooperari intendit mutationi licitæ, non autem peccaminosæ, & usurariæ. Ita ex doctrina S. Thomæ 2. 2. quæst. 78. art. 4. deducunt Sanchez in *Decal.* d. lib. 3. cap. 9. num. 12. Sylvest. *Verb. Usura* 7. quæst. 1. Molina de *Iustit.* tom. 2. disput. 335. Conclus. 2. Sotus eod. tract. lib. 6. quæst. 1. art. 2. Rebellius de *Oblig. Iustit.* lib. 8. quæst. 16. num. 28. Tamburin. de *Tripl. Jur.* d. l. 9. tract. 1. cap. 9. num. 5. & lib. 5. in *Decal.* cap. 1. §. 4. num. 44. & 70. & Diana, qui alios citat d. part. 5. tract. 7. resol. 8. Vers. Et tandem pro coronide. Quæ in Coordinato est tom. 7. tract. 5. resol. 55. Qui omnes absque scrupulo docent, eò magis posse mutuarium petere mutuum cum Usuris, & promissas usuras solvere; quod approbat Cardinal. de Lugo d. disput. 25. num. 229. tum quia à solutione abstinere non potest sine gravi incommodo suæ notæ, & infamæ, tum quia damnum spirituale in usurario est valde exiguum, cum sit dispositus ad usuras recipiendas; à qua dispositione non desistet ex denegata solutione, imò nova peccata faciet odii, detractiois, & convicii, & novas usuras quæret ad compensandum sibi pro iactura.

6 Opinio tamen affirmativa non minori votorum numero tenuit, peccare mutuarium, petendo mutuum ad usuras, illasque solvendo. Quia

Primo. Et si mutuarius non peccet peccato injustitiæ (cum iustitia, & injustitia debeat esse ad alium, & non ad se ipsum, nisi se impotentem redderet erga familiam suam, vel alios creditores ad satisfaciendum, ob gravamen receptum usurarum) attamen peccat peccato charitatis; qua quilibet tenetur vitare lethale alterius peccatum. Molina d. disput. 335. Conclus. 4. eò quod Unicuique mandavit Deus de proximo suo. Eccles. 17.

Secundo. Causa causæ est causa causati. Decian. Resp. 47. num. 52. Vol. 5. Sed mutuarius est causa, ob quam usurarius, concedendo mutuum, committit crimen usuræ. Ergo etiam ipse mutuarius peccat.

Tertio. Pari jure condemnat Apostolus eos, qui malefactoribus consentiunt, atque ipsos, qui malefaciunt. Ad Rom. 1. 32. ibi: Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Quarto. Si liceret ab usurario mutuam pecuniam ad usuram recipere; illicitum non esset, apud eundem usurarium pecunias in depositum collocare. Sed consequens est falsum, ut ait Sotus de *Iust.* d. lib. 6. quæst. 1. art. 5. quia, ut ibi ait, perinde esset, atque gladium furioso committere, aut impudico virginem, aut cibos guloso. S. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 4. Ergo & antecedens.

Quinto. Sicut quisque tenetur impedire damnum temporale alterius, dum potest, & ei subvenire; ut si conflagraret vicini domus, multò magis debet vitare damnum spirituale, Deff. Clericali Tom. II. Lib. LX.

Salas de *Usur.* dub. 48. num. 6. in fin. Sed mutuum petitum sub usuris causat damnum spirituale usurarii. Ergo.

Sexto. Pro nullo commodo temporali debet aliquis alteri quamcumque occasionem præbere peccandi: ut ait S. Thom. ubi supra 2. 2. 12 quæst. 78. art. 4. quia pertinet ad rationem scandalii activi, quod semper est peccatum; ut probat dict. 2. 2. quæst. 43. art. 4. Sed ille, qui petit mutuum ab usurario, expressè dat ei occasionem peccandi, Ergo absque peccato mutuarius pecunias mutuo sub usura recipere, easque solvere non potest. Hanc opinionem sustinent Greg. de Valentia tom. 3. disp. 5. quæst. 21. punct. 4. Cajetan. 2. 2. quæst. 78. art. 4. Navar. in man. cap. 17. num. 262. & mordicus Basil. Pontius de *Matrim.* lib. 5. cap. 18. num. 48. & seqq.

Opinio Tertia tandem distinxit. Vel usurarius erat paratus, & solitus scenerare? vel non? Primo casu mutuarius non peccat, quia non inducit illum ad malum; sed utitur ejus malo in bonum. Secundo casu, oportet subdistinguere. Vel mutuarius non habet necessitatem, sed vult expendere pecuniam illam voluptuosè? & tunc non potest absque peccato petere mutuum cum usuris. Vel est in necessitate aut gravi, aut mediocri? & in hoc casu petere mutuum cum usura potest etiam à non parato scenerare, non intendendo usurarii injustitiam, sed proprium commodum, & utilitatem. Ita Sanchez, Vasquez, Molina, & alii apud Dianam d. part. 5. tract. 7. resol. 8. Quæ in Coordinato est tom. 7. tract. 5. resol. 55. Et cum hac distinctione transeunt omnes recentiores, ut videre est apud Ugolinum de *Usuris* cap. 22. Salas eod. tract. dub. 48. Cardin. de Lugo dict. disp. 25. à num. 230. & seqq. Busembaum lib. 2. tract. 3. cap. 2. de Scandalo, art. 2. Tutam Conscientiam, seu P. Cafalicch. lib. 3. cap. 14. num. 8. & 9. Mastrius in *Theol. Moral.* d. disput. 5. num. 91. adeo ut non videatur ab hac distinctione discedendum; quia per eam concordantur opiniones contrariæ supra relatæ, videlicet; peccare quidem Mutuarium petendo mutuum sub usuris etiam ab illo, qui erat paratus scenerare, quando absque necessitate petit; sed non peccare, si ad petendum ducatur ob gravem necessitatem.

Cæterum adhuc restat objectum non leve in hac materia; nimirum ex præcepto charitatis quemlibet teneri magis diligere salutem spirituales proximi, quam bonum temporale sui ipsius, iste enim est ordo charitatis, ut primò diligamus Deum; secundò nos ipsos quoad bona spiritualia, tertio proximum nostrum quoad eadem bona; quarto nos ipsos quoad bona temporalia; & ultimò proximum in iisdem bonis. S. Thom. 2. 2. quæst. 26. art. 5. in corp. ibi; Et idè proximum quantum ad salutem animæ magis debemus diligere, quam proprium corpus. Idem docet Sotus 3. distinct. 29. quod observat Mastrius in *Theolog. mor.* disp. 10. num. 5. Layman. lib. 2. tract. 3. cap. 3. num. 1. & 2. Et ego scripsi de Extrema Unctione: Decis. LXXII. Igitur si concedamus, mutuarium posse ob temporalem necessitatem corporis petere mutuum sub usuris, easque solvere usurario; infringimus ordinem charitatis, præferentes bonum temporale mutuarii bono spirituali ipsius fornicatoris, id est salutem animæ ejus; quod videtur

tur manifestè injustum; cum ipse mutuans sit causa peccati fœneratoris, & per suam instantiam cooperetur usuræ, quæ absque dubio est intrinsecè mala; & per consequens nemo potest licitè esse ejus causa, vel cooperari ad illam.

Huic objecto difficili valdè responderi potest
 16 ex doctrina Cardin. de Lugo. de Sacramentis in genere disput. 8. à num. 180. & seqq. quod Mutuatarius, qui ob necessitatem petit mutuum cum fœnore, non possit dici causa peccati, vel quod cooperetur illi, quia non concurrat determinatè ad actionem, quæ hic, & nunc fieri non possit absque culpa. Nam docent Theologi, non esse cooperatorem peccati illum, qui præstat concursus suum ad actionem indifferentem, quæ scilicet fieri potest & cum peccato, & sine peccato; nam si cum peccato fiat, culpa refertur malitiæ, & prævæ voluntati illius, à quo fieri poterat sine peccato, & qui tamen vult illam facere cum peccato. Hinc etiam est, quod ipse Deus Optimus Maximus concurrat ad omnes actiones humanas, etsi peccaminosas, & enormes: & nihilominus non est causa peccati, nec cooperatur peccato; quia concursus ille, prout præstat, & offertur à Deo, est omnino indifferens; nec infertur omnino peccatum hominis ex hac voluntate, qua Deus concurrat; posset enim, stante illa voluntate Dei, non sequi peccatum, sed alia actio bona hominis. Ita in nostro Quæsito: Mutuatarius petens mutuum cum usuris non pervertit ordinem charitatis, nec magis diligit suum bonum temporale, quam bonum spirituale fœneratoris, nec ejus salutem spirituales postponit suæ necessitati temporali, quia petendo pecuniam fœnebre ex se non causat fœnus, nec cooperatur determinatè ad usuram, neque ejus instantia seu petitio obligat fœneratorem ad committendum peccatum usuræ. Stat enim in libera voluntate fœneratoris dare mutuum sine usuris, si velit; quod si nolit gratis mutuare, & exigat usuram, totum pendet à sua malitia, cum qua mutuatarius solum permittit se habet; ut latius explicat Cardin. de Lugo dict. disput. 8. num. 182. & 183. ubi eadem ratione demonstrat, excusari à peccato conjugem reddentem debitum suo conjugi malè petenti, vel christianum in triremibus Turcicis remigantem, vel Sacerdotem peccatori occulto, sed ei noto, Sacramentum Eucharistiæ præbentem: quia hæc omnes actiones ex se non inferunt malitiam, nec ad hoc tendunt; sicut petitio mutuatarii non tendit ad committendum crimen, sed ad recipiendum mutuum, quo indiget, quamvis mutuator ob suam malam voluntatem velit peccare mutuando cum usuris; quod etiam declarando pluribus exemplis prosequitur Sanchez in Decal. lib. 1. cap. 7. num. 18. & in terminis nostri Quæsiti lib. 3. in Decal. cap. 8. num. 27. & Basil. Pont. de Marrim. d. lib. 5. cap. 18. num. 46. 47. & 48. ubi subd. rem hanc in praxi plenam esse scrupulis, & difficultatibus; ideoque esto; quod liceat in necessitate petere mutuum cum usura ab eo, qui paratus est ex malitia fœnerare; licitum non erit petere ab illo, qui vel ex ignorantia, vel ex hac instantia incitaretur ad fœnerandum; quia esset saltem scandalum passivum, à quo tenemur abstinere. Idem Pontius dict. cap. 18. num. 17. & Sotus de Justit. lib. 6. quæst. 1. art. 5. ubi mutuatarios increpat, qui ut

alias mechanicas artes effugiant, vel lautiorē vitam agant, fœnebre mutuum petunt; in perniciem tū spiritualis, tū temporalis vitæ; quia ad inopiam facillè vergunt, & litibus se, suosque implicant. Quare securius semper erit, si animarum Pastores suaserint indigentibus pecunia, ut à mutuo fœneratitio abstineant, & potius suis laboribus, & honestis industriis propriæ indigentiae provideant.

DECISIO LVII.

A R G U M E N T U M.

Exponuntur sequentia carmina, quæ continent casus quatuordecim, in quibus non est Usura lucrum recipere à debitore pecuniæ.

S U M M A R I U M.

1. Usuram recipere non est peccatum in 14. casibus hic relatis.
2. Feudum an possit cedi à Vassallo cum Usura Domino?
3. Emphyteuta an possit dare fundum ad Usuram Domino suo?
4. Maritus licitè exigit Usuras, donec ei Dos solvatur.
5. Venditor rei fructifera, donec recipiat pretium, potest Usuras pro fructibus exigere.
6. Fidejussor quando possit à mutuatario exigere Usuras?
7. Pœna nomine aliquando licitè Usura exigitur.
8. Hostibus, cum quibus est bellum, licet imponere Usuras.
9. Pecunia locari potest ad pompam.
10. Debitum antecedens si deducatur in pactum in mutuo non est Usura.
11. Damnum emergens, & lucrum cessans ob moram mutuatarii non est Usura.
12. Spontè datum à mutuatario non est Usura.
13. Intentio, & spes mutuantis lucrandi aliquid ex mutuo an sit Usura?
14. Vendere rem pro valore futuro in tali mense an sit licitum?
15. Vidua pro dote sibi restituenda interusura capit.
16. Sumptus in custodiendo pignore sunt retinendi ex ejus fructibus.

Deveniendo postea ad exceptionem Regulæ mutuum esse debere gratuitum, Quæsitum fuit: An dentur casus, in quibus licitum sit recipere aliquid supra sortem absque peccato, & absque Usura?

Responsum fuit dari casus quatuordecim comprehensos in his carminibus.

- Qui Dominus [1] feudi est: sumptus qui [2] sustinet omnes
 Conjugii: pretio qui [3] sine vendit agrum,
 Quique [4] fidejussor solvit cum fœnore sortem,
 Alteriusque tulit nomine damna sibi.
 Qui pœnam [5] rectè stipulatur; & hostis [6]
 ab hoste,
 Ludere quem belli jura, vicesque sinunt.
 Quique dat [7] ad pompam signata numismata amico,
 Et qui non aliter [8] sperat habere suum.
 Cui mora [9] dat damnum; cui lucrum [10]
 debitor aufert.
 Et qui oblata [11] sibi munera spontè capit.
 Qui plaris vendit dubio [12] sub tempore merces:
 Orba [13] Viri mulier, sequæ suosque ut alar.
 Quia